

SALMON MACRIN (Jean)

CARMINUM LIBRI DUO (1851 vers)

SALMONII MACRINI IVLIODVNENSIS CARMINVM LIBER PRIMVS

AD HILERMV M BELLAIVM COGNOMENTO LANGIVM

C1_01 v.1 Luna priorum mos fuit Arcadum,
 2 Hilerme Langi, non choreis modo,
 3 cum sacra solemnesque pompa
 4 diis fierent, sed et inter arma
 5 acresque pugnas, psallere dulcibus
 6 rhythmis canorae et flamine tibiae :
 7 quas omnis ediscebat artes
 8 unguibus a teneris juventus.
 9 Hoc quippe cultus aspera gens feros
 10 pacto domabat nec minus utiles
 11 ad bella venandive curam
 12 vox citharae faciebat illos.
 13 Cantus beatos Caelicolas juvat,
 14 paeana laetum cum thyasi canunt,
 15 nec turis ingentes acervos
 16 praetulerint pecudumve caedem.
 17 Cantus reposo cum dapibus mero
 18 heroas effert laudibus et viros
 19 exempla qui praeclara morum
 20 ac memorem peperere famam.
 21 Cantus ruentum in proelia militum
 22 justo acriores reprimit impetus
 23 augetve, et hunc morem Lacones
 24 belligeri tenuere quondam.
 25 Demulsiit Orpheus Bistonnia fide
 26 Plutonis umbras saxaque moenibus
 27 coegit Amphion fuitque
 28 tutus aquis mediis Arion.
 29 Namque hunc Sicana ditem opulentia
 30 doctis pararat quam sibi cantibus,
 31 fama est revertentem Corinthum
 32 regis in hospitiumque amici,
 33 nautis ab ipsis (ah ! Scelus, ah ! Fames

34 insana habendi !) praedae inhiantibus
 35 saltare in immensos coactum
 36 velivoli latices profundi.
 37 At se priusquam praecipitem daret,
 38 movisse curvam police barbiton
 39 mortisque lenimen propinquae
 40 luctisono cecinisse questu.
 41 Molli hinc receptum tergore squammei
 42 delphinis alta enasse per aequora,
 43 dum litus exoptatum et ipsam
 44 Tenaron incolumis subiret.
 45 Nunc nulla dulci gloria musicae est
 46 pulchrisque majorum artibus ilicit ;
 47 nunc omnis ordo, sexus, aetas
 48 divitias putat esse pluris.
 49 Errore ab isto tu positus procul,
 50 facunde Langi, Pieridas foves
 51 nec liberales disciplinas
 52 largus opum sinis interire.
 53 Quod ni te iniquo hoc Francia saeculo
 54 portum dedisset vatibus unicum,
 55 suspensa cum plectro chelysque
 56 mutus et ipse chorus sileret.

AD DIONYSIUM CHORRONEM

C1_02 v.1 Me quid hortaris properare, Chorro ?
 2 Fertilis quam non roseo colore
 3 pinxit Autumnus, legere haud suevit
 4 vinitor uvam.
 5 Obsequi vobis cupio moraeque
 6 taedet invisae ; thalamis sed impar
 7 me movet justo nequedum apta amori
 8 virginis aetas.
 9 Quae jugi ignarae similis juvencae
 10 prata ludentis per aperta et ultro
 11 gramini haerentes vitulos inermi
 12 fronte potentis,
 13 gestit optatis modo laeta ludis,
 14 inter aequales choreasque ducit,
 15 texit aut veris croceo recentes
 16 flore corollas.
 17 Cogitat puppas Phrygiaque cinctus
 18 arte florentes et eburna signa,
 19 nec procos audit neque nuptialis
 20 conscia taedae est.
 21 Plusculi tantum numerentur anni,
 22 ut Dionaeos studiosa lusus
 23 virgo suspireret, mora nulla, vestris
 24 pareo votis.
 25 Unica est quae me potuit Gelonis
 26 septimo demum domuisse lustro,
 27 moribus castis et honore lectae
 28 praedita formae.
 29 Unicam (ne nos alieniores

30 forte conjectes refugosque ab illa)
 31 legimus nigros et adusque amandam
 32 funeris ignes.

AD GELONIDEM

C1_03 v.1 Ut sis Mopsopio, Geloni, melle
 2 posthac dulcior Indicaeque vincas
 3 succum arundinis, ut benigna ceston
 4 tibi commoditet suum Dione
 5 et ad taedia summovenda prorsum
 6 large blanditias det efficaces,
 7 non possis tamen has amariores
 8 compensare moras molestiasque
 9 quae me sollicitum usque habent et usque
 10 nec solaciolis locum relinquunt.
 11 Nam nostra ut tibi poena ceu tabella
 12 depicta in media explicetur utque
 13 noris sarcina quam gravis premat me
 14 semotum procul, huc vagantem et illuc,
 15 si quis Sisyphios mihi labores,
 16 rotam, dolia, vulturem sitimque
 17 proponat deus, omnia illa promptus
 18 istis anteferam, Geloni, curis.
 19 Quas clemens nisi mox levare pergis
 20 extorrem revocans, miser peribo
 21 nec tanto super ultra ero labori.
 22 I nunc, quisquis amas, fidelis esto
 23 ut tandem tibi mors sit ipsa merces.

AD B. THEOCRENVM

C1_04 v.1 Pomifer tristi, Theocrene, brumae
 2 cedit Autumnus, neque temperato
 3 sole jam caelum placidisve ridet
 4 aura serenis.
 5 Semper occasu pluviosa Pleias
 6 jugibus foedat sola vasta nimbis,
 7 solvit et caeco madidos ab antro
 8 Aeolus Austros.
 9 Si mero dulci dapibusque lectis
 10 atque lignorum strue larga abundas,
 11 me voces, luxu minuemus atras
 12 deside curas.
 13 Sic pius fulvis Libyes arenis
 14 fluctuum fessos comites marisque
 15 mulcet Aeneas veterisque Bacchi
 16 pocula miscet.
 17 Nulla de saevis, Theocrene, bellis
 18 mentio fiat patriaeque luctu :
 19 id magis current quibus est potestas
 20 tradita rerum.
 21 Quae premunt mentem studio nec ullo
 22 corrigi possunt, melius silentur.

23 Cur enim si quis nequeat mederi,
 24 vulnera tractet ?

AD VIRGINEM MARIAM

C1_05 v.1 O matre pulchra filia pulchrior
 2 quae prima matrum primaque virginum
 3 alvo perintegra tulisti
 4 terrigenum superumque regem,
 5 praescita quondam vatibus entheis,
 6 cantata psalmis et fide regia
 7 ut cujus electum supremus
 8 rerum opifex cuperet decorum
 9 demissus alto, cernis ut impios
 10 Europa motus turbida concitet,
 11 saevoque Gradivus tumultu
 12 cogat agens trepidas cohortes,
 13 instetque crudis caedibus et feri
 14 horrore belli, dum facile putat
 15 his posse deleri ruinis
 16 regnaque Christicolumque gentem.
 17 En sole claram Turca ferox Rhodon
 18 centum virorum millibus obsidet,
 19 terraque conatur marique
 20 vi penetrare inimicam in urbem.
 21 Quod ni Tonantem sollicita prece
 22 Baptista tuque inflectitis, ilicet
 23 maerore cum summo piorum
 24 in cineres ruat haec necesse est.
 25 Non flamma vestris Turcica sedibus,
 26 non parcer aris irave pervicax.
 27 Confundet hostilis pudore
 28 ultio fasque nefasque nullo.
 29 Videre maestas jam videor nurus
 30 ad supra passa protrahier coma,
 31 cum matre captivasque natas
 32 luctisono fremitu ejulantes,
 33 foedata tabo limina civico,
 34 stagnare rivis sanguineis vias,
 35 ac prorsus everti penates
 36 divum odio dominique Christi.
 37 Hanc a feraci perniciem insula,
 38 quam nymbus olim perpluit aureus,
 39 defende, Regina, obsecramus,
 40 hoste fugam meditante turpem.

AD GELONIDEM

C1_06 v.1 Annos nata ter, o puella, quinos,
 2 ipsis quae mihi carior medullis
 3 ambobusque oculis, precamur, aude
 4 primas discere litteras et illis
 5 quos misi tibi proxime libellis
 6 exercerier edocente fratre.

7 Haec praeludia consecuta postquam
 8 fraterna fueris tuaque cura,
 9 partes ipse meas obibo teque
 10 consortem mihi debitam docebo
 11 quae gratissima erunt utrique nostrum,
 12 et praedulcibus excolam Camenis,
 13 caldo conjugis in sinu cubantem,
 14 suavia atque jocos reciprocantem.
 15 Quaeris quid tibi praemii futurum est
 16 si versabere diligenter hisce
 17 quos te ediscere jussimus libellis ?
 18 Ardentem Tyrio colore pallam,
 19 Indis conspicuum monile baccis,
 20 sex argenteolas acus et auro
 21 squalentem dabo Cyprio crumenam.
 22 Addetur quoque bellus ille passer
 23 cantatus numeris Catullianis
 24 quem omnes non fatuae appetunt puellae.

AD HENRICVM OCTAVVM, BRITANNIAE REGEM

C1_07 v.1 Hostium victor trepidisque fortis
 2 rebus, heroo referere cantu
 3 inque te summi diurna mittent
 4 saecula vates.
 5 Morus arguta ante alios Camena
 6 atque Tonstallus memoranda dicent
 7 gesserint quotquot duce te feroce
 8 bella Britanni.
 9 Haec ego imbelli cithara (quod unum
 10 vix satis digne mea Musa tractat)
 11 saepe tentasse lyricisque gratus
 12 pangere nervis,
 13 conscius si non pudor obstitisset
 14 improbo et tangi vetuisset ausu
 15 facta Smyrnaeis modo Mantuanisque
 16 apta cothurnis.
 17 Non enim Phthii ducis arma possit
 18 florido quivis celebrare versu,
 19 non ab infesto Danaum perustos
 20 Hectorre naves.
 21 Interim rebus tamen a minutis
 22 noster assurgat labor ad triumphos,
 23 vina nec tantum juvenumque caecos
 24 ponat amores.
 25 Ut rudis nido modo *<avis>* relicto
 26 dum fugam primum meditatur, imis
 27 frondibus ludit neque adhuc apertas
 28 pervolat auras,
 29 ludicris sic, Rex, levibusque justo
 30 fingimur paulatim operi, priusquam
 31 elaboremus monumenta rerum
 32 clara tuarum.
 33 Ecquid huic pulchro statuis labori
 34 praemii ? Quos aut stimulos poetae

35 addis, Henricum ut Rutupina late
 36 personet ora ?
 37 Ut senex Nymphas Thamesis sorores
 38 laetior dulces vocet ad choreas,
 39 dum tuum passim recinit jocosa
 40 nomen imago ?

AD LIVIVM CROTTVM, GENVENSEM

C1_08 v.1 Ne, Livi, doleas plus nimio memor
 2 amissae Italiae, neu lacrimabiles
 3 questus saepe iteres, quod patrium tibi
 4 Fortuna invideat Larem,
 5 quodque invisa feri Martis atrocitas,
 6 tantis divitiis, tot modo honoribus
 7 insignem, peregre compulit inter et
 8 gentes degere barbaras.
 9 Haec sunt dura quidem, sed tibi quem tua
 10 virtus a teneris unguibus imbuit
 11 forti adversa pati proposito neque
 12 rebus fidere prosperis,
 13 ferre haud difficile est quicquid iniquitas
 14 fatorum intulerit : sunt comites tibi
 15 extorri Aonides nec numeris malae
 16 curas non minuunt fugae.
 17 Alcaeus citharae Lesbidas arbiter,
 18 a saevis patriam dum pius hostibus
 19 defendit, pelago victus ab aurea
 20 solamen petiit lyra
 21 testatusque fugae triste periculum et
 22 sacris fixa tholis arma, potentiam
 23 proscendit dominorum acer et aurei
 24 plectri dignus honoribus.
 25 Nec regni ipse putem res ita Gallici
 26 attritas liceat quin profugis adhuc
 27 sperare Italianam civibus et pia
 28 uxorum oscula dulcium ;
 29 quae nunc heu ! Tenebris abditae inertibus
 30 in luctu assiduo tempora conterunt,
 31 absentum et celeri pro reditu virum
 32 jugi Caelicolas prece
 33 pulsant ; pollicitis interea suis
 34 certatim armipotens Astur et accola
 35 Rheni has sollicitant, non mage mobiles
 36 Hyrcani scopolis freti.
 37 Olim dux Phrygiam pugnat ad Ilion
 38 dum Laertiades, non secus integrum
 39 frustra mille modis Icariotida
 40 tentabant Samii proci ;
 41 namque haud illa sui conjugis immemor
 42 detextis proceres subdola liciis
 43 fallebat, tacita nocte redordiens
 44 quod jam texuerat die.

AD GELONIDEM

C1_09 v.1 Multis frugibus annus hic abundat,
 2 flarentque innumeris agelli aristis,
 3 densis vinea purpurascit uvis,
 4 ipsae fructibus arbores gravantur.
 5 Amabo, mea mollicella conjux,
 6 ludamus simul et simul jocemur,
 7 ac pressim oribus applicemus ora.
 8 Vincat innumeris agrorum aristas
 9 et quas vinea procreavit uvas
 10 et fructus quibus arbores gravantur
 11 messis prodiga suavitationum
 12 autumnusque ferax jocationum
 13 et vindemia larga lusionum,
 14 ut respondeat annus usquequaque :
 15 "Sic vixisse decet, venusta conjux !"

AD HILERMVVM BELLAIVM

C1_10 v.1 Aestate longa et vix numerabili
 2 vatum sacratis si quis honoribus
 3 mittendus in seram nepotum
 4 progeniem memoresque fastos,
 5 rectis amicus moribus ac diu
 6 spectata iniquis temporibus fide,
 7 omniisque proventu facultatum
 8 exposito facilique dignis,
 9 jure ille dici dispeream nisi,
 10 Hilerme, possis, cui studium unicum est
 11 quicunque fortuna premuntur
 12 difficili relevare amicos,
 13 censu parato, praecipue tibi
 14 notos ab annis jam inde minoribus
 15 quos Musa convictusque longo
 16 pristinus insinuarit usu.
 17 Horum profecto sum locuples ego
 18 testis futurus, cui tenues opes
 19 cum sint nec ingentes avitis
 20 proveniant redditus ab agris,
 21 egere non vis me tamen et tuas
 22 praebens benigna divitias manu,
 23 duris in aerumnis jacentem
 24 mirifica bonitate tollis.
 25 Tanti necesse est officii memor
 26 quicquid pusillum hoc ingenium potest
 27 consecrem et excultis tua istaec
 28 perpetuem benefacta chartis.

AD GVL. BVDAEVM PARISIENSEM

C1_11 v.1 Dum palla Enyo tecta adamantina
 2 saevamque dextra concutiens facem
 3 bacchatur hostili tumultu

4 et populos inimicat omnes,
 5 Peuceque ab alta Mars ferus ultimas
 6 duri columnas saevit ad Herculis,
 7 ferroque funestaque flamma
 8 attoniti populator orbis,
 9 Cimber Britanno junctus obambulat
 10 cultaeque tentans oppida Franciae
 11 auro modo immensisque donis,
 12 nunc vi aditum sibi cautus ornat,
 13 nos aut reductis vallibus abditi,
 14 ad limpidorum murmura fontium,
 15 Nymphis et intonso parenti
 16 sub gelidis operamur umbris,
 17 aut summi herilem carmina filium
 18 vatis docemus scriptave Tullii,
 19 sermone cometesque linguam et
 20 fruge animum potiore morum,
 21 ut quondam Achilli Phillyrides senex
 22 aequumque et herbas et citharae modos
 23 (conferre si fas parva magnis)
 24 Peliaco recitabat antro.
 25 Solamur istis triste cor otiis
 26 invisa necnon tempora fallimus
 27 a cogitatu semoventes
 28 nos patriae truculenter ustae.
 29 Oblivioni non tamen interim,
 30 Budaei, Musae praesidium meae,
 31 praeberis, at quicquid facultas
 32 nostra potest tibi servit omne,
 33 nobis nec ulla est pagina gratior
 34 quam rite laudes quae memorat tuas
 35 et nomen ad seros propagat
 36 Pindaricis fidibus nepotes.

AD CALLIOPEN

C1_12 v.1 Quae gratos, dea, Sirmionis amnes
 2 Veronaeque tenes amoena Tempe,
 3 materna olim prodeuntem ab alvo
 4 cepisti facili manu Catullum
 5 ac parvum docuisti ad amnis undas
 6 hosce versiculos minutiores
 7 cinxistique hedera virente crinem
 8 dilecti tibi plurimum poetae.
 9 Huc ades, dea, spiritus et illos
 10 nobis suffice quos tuo Catullo,
 11 dum cantat numeris suam pueram,
 12 ad caelum et lepidis vocat libellis
 13 suas delicias, suos amores.
 14 Fac ut lux mea Lesbiam sequatur
 15 Famae candidulis perennis alis,
 16 et stolae nitido pudore vernet,
 17 dicta et versibus haud laboriosis
 18 charta vivat anu modisque cultis
 19 saeclorum innumerabiles ad annos.

AD MAGDALENEN, MAGNI FRANCIAE OECONOMI FILIAM

C1_13 v.1 Tu modis digna es quoque, virgo, nostris
 2 et lyrae dulci modulatu eburnae,
 3 avia quali resides solemus
 4 ludere in umbra.
 5 Virgines nam sic alias parentis
 6 dote naturae omnigena premis ceu
 7 ceteros flores rosa verna et ignes
 8 luna minores.
 9 Quid prius dicam ? Roseaene formae
 10 regium prorsus decus aureisque
 11 crinibus flavum caput et rubentes
 12 murice malas ?
 13 Nomen an clari generis vetustum,
 14 stirpe gentiles ab utraque reges,
 15 stemma deductum celebri duorum
 16 Caesarum ab Aula ?
 17 Pulchrum ab Arctoo tibi principatu
 18 stirpis eductam seriem paternae
 19 regio necnon Danaum creatam
 20 sanguine matrem.
 21 Pulchrius laudem generis superbi
 22 integrae ornatu cumulare vitae
 23 (quod facis) recti meritamque cultu
 24 quaerere famam.
 25 Quam manu plena tibi, quam benigna
 26 addidit laetos Erycina honores !
 27 Quam tuum afflavit cumulate amica
 28 Gratia vultum !
 29 Thessalam pinum Minyas et ipsos
 30 Lemnio posses retinere portu,
 31 ora si tantum tua conspicatus
 32 esset Iason,
 33 nec cycno cretam niveo Lacaenam
 34 Dardanus pastor tibi praetulisset,
 35 nec reliquisset vacuo gementem
 36 litore Theseus.
 37 Ter quater felix erit ille quisquis
 38 nocte te prima faciet maritam et
 39 invicem quem tu facies eadem
 40 nocte maritum !
 41 Quid tuus dotem genitor, quid ipsi
 42 conjugi dandos redditus futuro
 43 quaerit ? Haec censu potiorque et omni
 44 munere forma est.
 45 Aureis lucem o cito, Magdalene,
 46 hanc vehat Titan rutilus quadrigis,
 47 qua novo ad festos Hymenaeon ignes
 48 carmine dicam !

AD HLLERMVM BELLAIVM

C1_14 v.1 Thermae lassa fovent, Hilerme, membra
 2 Lenaeusque latex dapesque lautae et
 3 in molli irriguus sopor cubili.
 4 At pressam immodico labore mentem
 5 curarumque graves acerbitates
 6 mulcent laetitiae, joci, cachinni,
 7 nec Musae minus elegansque vates,
 8 cui puro fluat amne dulce carmen,
 9 cui vox florida personumque plectrum,
 10 verborum diuturnitas fidesque
 11 vincit facta virum : nec interibit
 12 quisquis versibus efferetur olim
 13 divino Charitum lepore tinctis.
 14 Sit fas ergo mihi tuos labores,
 15 quos terraque marique, quos togatus,
 16 quos plerumque sagatus ipse perfers,
 17 undenariolis meis levare,
 18 quamvis illepidis et invenustis.
 19 Quippe inter proceres, diserte Langi,
 20 quos haec Gallica cumque nutrit Aula,
 21 es solus prope quem juvent Camenae,
 22 necnon scribere qui legenda possis
 23 quique idem facere ac utrumque juxta,
 24 si quando libitum est, obire munus.
 25 Mirum si placeas tuo ipse Regi,
 26 Regi maximo et optimo virorum,
 27 his virtutibus, hac, Hilerme, fama ?
 28 Mirum si probitate singulari,
 29 mansuetudine, liberalitate,
 30 sis percarus amabilisque cunctis,
 31 vel victa invidia maligniorum ?
 32 Sic olim, domitis ubique monstris,
 33 placata impiger Hercules neverca
 34 aeternum decus igneumque adeptus
 35 caelum, nunc placida quiete felix
 36 florentem gener osculatur Heben
 37 dio nectaris et liquore vivit,
 38 conviva omnipotentium deorum.

ALLOQVITVR IVLIODVNVM

C1_15 v.1 Praeclara magni Caesaris urbs, quibus
 2 ornare possim nominibus satis
 3 te, Regis aeterni parenti
 4 sic Mariae Superisque gratam ?
 5 Delubra cui tot splendida et adfabre
 6 structae vetusto marmore porticus
 7 arcesque consurgunt in altum
 8 artificum ingenio bonorum,
 9 quam Brissa lymphis lenibus irrigat
 10 et Leucocrene rauca sonantibus,
 11 quam Liber ubertim suisque
 12 alma Ceres beat usque donis,

13 age, hanc coronam suscipe, quam tuus
 14 offert alumnus jam tibi debitam,
 15 nec nostra testudo recuses
 16 quicquid erit quod eburna fundet.
 17 Maturus aevi grandia concinam
 18 priscasque dicam gentis origines,
 19 compressit Anchises ut olim
 20 ad Phrygii Simoentis undas
 21 furtim Dionen callidus auream,
 22 prima unde stirpis semina Juliae
 23 quam fata concordesque Parcae
 24 orbis ad imperium vocabant,
 25 sudore victis regibus improbo
 26 urbisque fractis Sidoniae minis,
 27 et quicquid a Baeti patebat
 28 ad Syrias fluviumque Medium.
 29 Imbellis o me non memorem lyrae
 30 tractem minutis talia qui modis
 31 parvaque nil cymba procellis
 32 credere me Ioniis pavescam !

AD HILERMYM MARLIVM

C1_16 v.1 Ne me propterea putas superbum
 2 fautoremve mearum ineptiarum,
 3 quod credam tibi perlubenter atque
 4 prolatis referam tuis tabellis
 5 quos de deliciis Gelonidaeis
 6 in lucem novus extuli maritus
 7 nostros mirifice placere libros,
 8 non solum tibi, sed tuis amicis,
 9 saltem esset quibus haud obesa naris.
 10 Atqui gratum ibi si quid est eritque
 11 posthac in numeris Macrinianis,
 12 id totum sibi vendicet Gelonis,
 13 quae de pyxide quam dedere nuper
 14 nubenti Veneres Cupidinesque,
 15 sparsit myrteolos abunde odores
 16 inscriptumque sibi poema tinxit
 17 divina Idalii liquoris aura,
 18 admiscens Charites venustiores.
 19 Acceptum referas ei necesse est
 20 si quid juverit elegantiarum,
 21 non curis male perdito poetae
 22 qui illam deperit impotenti amore,
 23 oblitis prope pristinis Camenis.

DE SACRIFICIO FRANCISCI REGIS

C1_17 v.1 Ad tuas dum Rex operatur aras,
 2 Christe, supremi patris alma proles,
 3 dum pias funditque preces et aedem
 4 ture vaporat,
 5 supplicem exaudi incolumesque semper

6 hoste ab infesto tueare Celtas,
 7 obsides natos, potes ipse, flexo
 8 Caesare reddas.

AD SE IPSVM

C1_18 v.1 Ineptire, miser Macrine, cessa
 2 ad mentemque redi, nec impotenter
 3 illam depereas, amore cuius
 4 est tantum tibi perditum laborum
 5 quantum nec vagus Hercules subivit
 6 nec qui vellus ovis revexit aureae.
 7 Blandae siccine fabulationes
 8 occultique joci facetiaeque et
 9 empta incredibili timore furta
 10 inhaerent animo, mori tibi ut sit
 11 prae desiderio necesse longo ?
 12 Fulserunt tibi candidi ante soles
 13 et passo tua navis acta velo est
 14 fallaci levium profundo amorum,
 15 cum laetissimus ipse navigares
 16 quo mellitula tum puella duxit,
 17 fiebant ibi cum jocosa multa
 18 quae tu, quae facilis volebat illa.
 19 Nunc flatus cecidit ferentis aurae
 20 et nullum potes invenire portum,
 21 tempestatibus obrutus malignis
 22 infidae nimium tibi puellae.
 23 An tu propterea remissus, exspes,
 24 despondes animum et secundiora
 25 eventura negas subinde fata ?
 26 Haec deceperit, esto, vafra amantem,
 27 sunt tentandae aliae, fidelis una
 28 ex tanto numero rogetur abs te,
 29 cujus solius ipse sis, tua illa.
 30 Hoc desiderium modo levari
 31 aut nullo poterit modo levari.

DE IANO LASCARE RHYNDACENO

C1_19 v.1 Ecquis volentem me canere auribus
 2 digna eruditis et fide Teia
 3 dulces laborantem malignis
 4 eximere a tenebris amicos,
 5 saltus in altos transferet Aonum
 6 quo trita rarissit via passibus ?
 7 Quis rore Permessi fluentis
 8 ora mihi sitibunda tinget ?
 9 Jam feta largo numine pectora
 10 thyrsosque Iacchi sentio frondeos,
 11 aspreta inaccessosque Nysae
 12 jam videor peragrare lucos.
 13 Hicne ille Janus Lascaris ambulat
 14 pressus virenti tempora laurea,

15 cui barba promissusque crinis
 16 vincit hyperboreas pruinias
 17 candore puro ? Fallor ? An inclytum
 18 heroa pubes Dorica conquerens
 19 circumstat et tutos receptus
 20 ambit inops patriaeque victae
 21 maeret ruinas, ni pius induat
 22 apud dynastas jam sibi cognitos
 23 pro gente personam parentis
 24 Argolica et tueatur artes,
 25 oppressit eheu ! Quas furor impotens
 26 Turcarum et atra colluvie obruit,
 27 ut Graeciam quaerant in ipsa
 28 Graecia adhuc profugi nepotes ?
 29 Virtute et ausu macte novo, senex,
 30 sanguis Pelasgorum inclyte Caesarum,
 31 incumbe coeptis artiumque
 32 sume patrocinium bonarum.
 33 Pro gente vestra, pro patriis focis,
 34 en copias, en auxilium et sua
 35 Franciscus offert regna, Graium
 36 Gymnasio tibi construendo.
 37 Capto quid antehac profueris sibi,
 38 gratus fatetur, se neque judicat
 39 dignum statu ac sceptris receptis,
 40 haec tua ni benefacta penset.
 41 Sed nulla prorsum praemia flagitas,
 42 vir o juvandis nate bonis, nisi
 43 Musae ut reflorescant, in usum et
 44 tot veterum revocentur artes.

AD PETRVM DANESIVM

C1_20 v.1 Qui fit, candide Danesi,
 2 hac ut temperie veris amabili,
 3 cum jam cuncta repullulant,
 4 afflatu egelidi fota Favonii
 5 putris gleba resolvitur
 6 herbisque induitur floricomantibus
 7 necnon gutture garrulae
 8 flectunt blandisonum carmen acreduiae,
 9 qui fit turba ut in urbica
 10 malis et strepitu vivere dissono
 11 rauci litigiis fori,
 12 quam villae modicos Maeviliae Lares
 13 et spissas nemorum comas
 14 tractusque herbiferos visere vallium
 15 mecum, quos tenues aquae
 16 labentes scatebra rupis ab ardua
 17 puro gurgite perlunt ?
 18 Istis, Petre, modum pone laboribus
 19 indignisque negotiis,
 20 quae te conficient sed cito, ni tibi
 21 vivendi ordine consulas,
 22 permutans placidis aspera. Quam juvat

23 hic in margine roscido
 24 inter solivagas ludere Oreadas,
 25 ac dulces Dryadum choros !
 26 Et si collibuit quid meditarier,
 27 nusquam est aura serenior,
 28 oestro nusquam animos valdius entheo
 29 Nysaeusque bicorniger
 30 insignisque chely Delius incitant.

AD MVSAM, DE HONORATO SABAVDIANO, VILLARIORVM REGVLO

C1_21 v.1 His novis ecquem statues corollis
 2 verticem dignum, Jove nata virgo,
 3 cui tuis tantum manibus merenti
 4 nectis odorum ?
 5 Fallor ? An nostro rosea haec parantur
 6 serta Honorato viridesque lauri et
 7 quae laborato fabrefacta torquis
 8 fulgurat auro ?
 9 Dignus hoc certe ante alios honore,
 10 cum suam impendat studiis juventam
 11 optimis, rerum ut melius regendas
 12 flectat habenas.
 13 En ut insigni veneranda vultu
 14 prolis augustae species et ampla
 15 dignitas lucet, pater in decoro est
 16 plurimus ore.

AD GELONIDEM

C1_22 v.1 Discriminatam cur rutilas comam
 2 nodoque crines colligis aureo,
 3 sandyce conchylique fulgens
 4 veste, mihi placitura conjux ?
 5 Collum recenti cur nive purius
 6 circum lapillis cingitur Indicis
 7 fragratque odorato Sabaeae
 8 rore sinus Syriaque nardo ?
 9 Haec, forma quarum est non bona, fecerint
 10 ut cultu amantes sollicito evocent.
 11 Quid pulchra, quid desponsa pridem,
 12 tam levibus moveare nugis ?
 13 Spartana non si Leda revixerit
 14 prolesve Ledae, sit mihi gratior
 15 te, nympha, nec quam cursor astu
 16 Tantalides superavit olim.
 17 Sat culta sponso si placeas tuo ;
 18 contemne de te garrula dictitet
 19 quid fama : matronae profecto est
 20 castae oculis studuisse paucis.

AD MVSAM, DE BELLAIS FRATRIBVS, HILERMO ET IOANNE, EPISCOPO BAIONENSI

C1_23 v.1 Virgo, quae saltu procul infrequent
 2 arborum molli recrearis umbra,
 3 quam juvant fontes liquidi et recentum
 4 copia florum,
 5 dic modos fratres quibus erudit
 6 applicent aures animumque prouum,
 7 quando nil prosunt sine te piorum
 8 munera vatum,
 9 irritusque omnis labor est canendi,
 10 prosperum avertis simul atque numen ;
 11 icta nequicquam recrepant amusis
 12 barbita Musis.
 13 Eia age, exactos, Aganippi, versus
 14 fratribus mecum meditare dignis
 15 quos canas fulvaque fluens inauret
 16 Hermus arena.
 17 Laudibus sacris memores Therapnae
 18 efferant caelo solitos Laconas,
 19 hunc equis palmam meruisse, crudis
 20 caestibus illum.
 21 Langios versu hoc leviore fratres
 22 posteris notos faciemus, has si
 23 respicis curas, Dea, nec vocanti est
 24 surdus Apollo.

AD GELONIDEM

C1_24 v.1 Quo, suavissima, quo, puella, philtro
 2 incautum haud ita pridem inebriasti,
 3 ut sic perditus atque amore caeco
 4 vecors, nec moriar nec ipse vivam,
 5 sed longis cruciatibus supersim,
 6 larva pallidior novaque cera,
 7 cui durum fuit ante contumaxque
 8 has ad delicias jocosque pectus,
 9 seu curas potius molestiasque
 10 vero nomine si liceret uti ?
 11 An ceston tibi commodavit aureum
 12 quae Cypron tenet Eryosque apertos
 13 spumoso dea procreata ponto ?
 14 An Aeaea sciens venena Circe
 15 aut Colchas docuit Citheis herbas
 16 formosum quibus hospitem lucrata,
 17 expertem domuit soporis anguem
 18 et tauros juga ferre panda adegit ?
 19 Quae te nescio vis juvet, quis humor,
 20 quae tam prospera serviant tibi astra ;
 21 hoc certe scio, scire quod molestum est,
 22 me sensim tacitis perire curis
 23 ac flamma exitiabili cremari.
 24 Si me qui fueram rebellis olim et
 25 vitam ducere caelibem volebam,
 26 jam captum ac domitum vides tuique

27 heu ! Desiderio ac amore nullum,
 28 quid differre juvat quod inchoasti,
 29 tamquam paeniteat stetisse dictis,
 30 lactatum quibus ipsa subjugasti ?
 31 Jam tantae, precor, o medere curae
 32 atque exstingue meas miserta flamas,
 33 caris carior, o Geloni, ocellis.

AD THOMAM MORVM, BRITANNVM

C1_25 v.1 Musis amicus pacis et artibus
 2 ineducatus, persequor otia
 3 dilecta jam primis ab annis
 4 et studio bene nota longo.
 5 Nil cum Gradivi caedibus impiis
 6 miscentis orbem sit rabie mihi,
 7 quid Turca secura Psophysve
 8 mente agitent, Italas quis urbes
 9 invadat. O quae gramineo specu
 10 Libethri gaudes et nemorum coma,
 11 per prata convalllesque puris
 12 sicubi fons vagus errat undis,
 13 facundo honores adstrue debitos
 14 et serta Moro, fac meritum viri
 15 discant pharetratique Persae
 16 quiique Hypanim Rhodanumque potent.
 17 Cantu Latino hunc et fide Daunia
 18 ventura mitte in saecula. Vatibus
 19 hunc dulce cognoscant fuisse
 20 praesidium lyricis minores.

AD HEL. BELLATVM, COGNOMINE LANGIVM

C1_26 v.1 Otium anne umquam, generose Langi,
 2 et dies felix erit ille nobis,
 3 cum tuas justo liceat referre
 4 carmine laudes ?
 5 Non in obscuro sinerem latere
 6 hoc stilo dignum graviore nomen,
 7 impares quamvis humeri sub ipsa
 8 mole labarent.
 9 Grata saltem esset, reor, haec voluntas,
 10 qua deo plerumque litamus una,
 11 victimae desunt ubi masculique
 12 turis acerra.
 13 Te Meletheae celebrare chartae
 14 par uti, Andinus nequeatque vates,
 15 nedum ego hoc sperem rudis inchoata
 16 posse Camena ?
 17 Non Jovis magni fera tela fando
 18 exprimat quivis, quibus ille quondam
 19 stravit hostilesque manus et altae
 20 Pelion Ossae
 21 subruit tristi impositum ruina,

22 cum Giganteos metuere divi
 23 impetus, fulgens metuit profundi
 24 regia caeli.
 25 Conscius meme pudor atque inuber
 26 vena deterret, tua ne ista, Langi,
 27 facta nequicquam meritae labore
 28 tradere famae.
 29 Se tibi ex coetu procerum quis aequet
 30 corporis dote atque animi ? Quis ore,
 31 seu juvet nexas tibi, seu solutis
 32 dicere verbis ?
 33 Ista sed tanto nequeam in tumultu,
 34 maxime exoptem licet, alta ad astra
 35 ferre, Bellai, decus o meorum
 36 dulce laborum.
 37 Proinde si me vis studio tuisque
 38 auribus dignum recitare carmen,
 39 dulcis aspectum patriae et meam mi
 40 redde Gelonim.

AD GELONIDEM

C1_27 v.1 Dic, inscripta notis virgo adamantinis
 2 absentis tenero pectore conjugis,
 3 dic, an mutua cura
 4 nostri te quoque macerat
 5 absentem ? Bene habet ! Non dirimunt loci
 6 intervalla animos, quos semel aurea
 7 teli cuspide fixit
 8 et certa tetigit manu
 9 pernix ille puer. Non ego Lydiae
 10 gazas praetulerim, divite aqua licet
 11 campos Hermus inauret
 12 et Croesum memoret suum,
 13 castis conjugii dulcis amoribus,
 14 non quas magnus opes quaesiit Arsaces,
 15 regnis Marte subactis
 16 quae sol exoriens videt.
 17 Nam quo Sidoniae vellera purpurae ?
 18 Aedes quo laqueatae et Phrygius lapis,
 19 si maerore cubandum
 20 cum summo vacuis toris ?
 21 Sublata, en redeo, ne doleas, mora.
 22 Tum collo injiciam cerea brachia
 23 ut non artius ornum
 24 serpentes hederae ligent.

AD EANDEM

C1_28 v.1 Uxor municipis tui,
 2 cui Tritonis acu pingere daedala
 3 diversisque coloribus
 4 flores Barbaricis ducere stragulis
 5 ac vultus hominum dedit

6 tam scite, invideant ut Phrygiae nurus
 7 Nilique artifices manus,
 8 et quas Cyprus habet, quas Babylon potens,
 9 ecquod tempus erit, tua
 10 cum nostris opera lectus amoribus
 11 texatur, puero auspice
 12 qui numquam ignifera non face fervidus
 13 mortales cremat ac deos
 14 sub legesque trahit trux adamantinas ?
 15 O lucem mihi candidam,
 16 o noctem memori pignore amabilem,
 17 noto qua recubans toro
 18 effususque tuo molliter in sinu,
 19 sumam gaudia quae Venus
 20 quinta parte sui nectaris imbuat !

AD CVPIDINEM

C1_29 v.1 Quid mecum tibi, trux puer ? Quid usque et
 2 usque mollibus insidens medullis,
 3 fixis me miserum obruis sagittis
 4 cogisque ante diem interire ? Cernis,
 5 cernis ut macies renudet ossa
 6 et palloribus efferentur ora,
 7 vivo sanguine quae prius rubebant,
 8 caeco pectora ut igne deliquescant,
 9 qui flamas superet flagrantis Aetnae.
 10 Nec tedas removes tamen nec inde
 11 queis sic saucior eximis sagittas,
 12 crudeles nimium mihi sagittas.
 13 Quam tu, pessime, vate sic perempto
 14 laudem, quos titulos refers honorum ?
 15 Non est par hominis deique pugna.
 16 Quid quod, gloria si qua mortis hujus,
 17 non totam tibi vindicare possis ?
 18 Nonnullam merito puella partem,
 19 cuius auxilio es, reposcet usus,
 20 et si te vocet, ut vocabit, in jus,
 21 id mox judice consequetur aequo.
 22 O palmae genus arduum ac superbum,
 23 jactandumque tibi, Cupido, honorem,
 24 si tu, si unanimis puella tecum
 25 vatem afflixeritis necaritisque !

AD FAVNVM

C1_30 v.1 Faune, silvarum specuumque cultor,
 2 saeva majestas et opacus horror
 3 quos inaccessos facit et profanis
 4 gressibus arcet,
 5 seu jaces notis resupinus antris,
 6 igne dum Titan furit impotenti,
 7 fessaque indulgens reparas quieto
 8 membra sopore,

9 seu ferum insani jaculis amoris
 10 saucius pectus, fruticosa Nymphas
 11 per juga et valles sequeris, nemusque
 12 frondibus atrum,
 13 me, virum dulci comitante nupta,
 14 invios tuto sine adire lucos,
 15 nec tua ingressis noceant pavore
 16 numina saevo.
 17 Si quid et casura minetur arbos
 18 triste sopitis gelidusve serpens,
 19 si quid occursus violentiumve
 20 ira ferarum,
 21 nos ab infestis bonus o periclis,
 22 Faune, defendas, Venerique divae
 23 fidus, illaesos tueare ab omni
 24 noxia amantes.
 25 Sic tuos numquam faciles Napaeae
 26 horreant raptus Dryadesve blandae,
 27 nec tua infestent properantis aspri
 28 cornua vepres.
 29 Sic odorato pia turba vino
 30 libet agrestum tibi, sic Decembres
 31 serviant nonae, tibi caesus aram
 32 imbuat agnus.

AD HIL. BELLAIVM, COGNOMINE LANGIVM

C1_31 v.1 Hujus minutis pectinis arbiter
 2 censorque Langi, quem mea piae omnibus
 3 mirata de legit patronum
 4 Terpsichore sibi singularem,
 5 me dura postquam fata superstitem
 6 olim negabunt, ultimus et dies
 7 migrare divulsam jubebit
 8 hinc animam tenues in auras,
 9 manuque tristi lumina claus erint
 10 flentes Amici, ne mihi ne, precor,
 11 lamenta lugubresque pullis
 12 turba togis iteret querelas.
 13 Maesta ejulantis naenia praeficacae
 14 nostroque desit tibia funeri,
 15 nec limen orbatosque postes
 16 irrediviva tegat cupressus.
 17 Exsangue nolim more potentium
 18 lecto reponi corpus in aureo,
 19 flamasve confertim rogales
 20 Assyrio cumulari odore.
 21 Nolim Carysteo ardua marmore
 22 sepulchra condi : fronde quiescere
 23 sub cana opacantis salicti
 24 gratius est viridisve lauri.
 25 Hic suave inhalet mollis amaracus,
 26 hic mixta calthis lilia luteis,
 27 narcissus inscriptique regum
 28 nominibus redolento flores.

29 Tres pompa libri funeris est mei,
 30 nuper juventa fervidus impigra
 31 quos elaboravi recessu
 32 Andegavo Ligerisque ripis.
 33 Romana magni Caesaris urbs genus,
 34 Turonum opimis condita finibus,
 35 quae frugibus mitique Baccho
 36 ditis agros Capuae laccessis,
 37 sacris avorum me quoque honoribus
 38 adjunge posthac et mihi Delphica
 39 lauro Dionaeaque myrto
 40 texe volens meritam coronam.
 41 Impune nam si vera faterier
 42 citraque nobis invidiam licet,
 43 magna ipse primus quem probarit
 44 Gallia tempus ad hoc poetam,
 45 primus puellae tinnula Lesbiae
 46 qui plectra sumpsi et Pindaricum melos
 47 non ante vulgata per urbes
 48 Pictonicas fide publicavi.
 49 Qua flavus undas praecipitat Liger
 50 auctusque multis amnibus Andium
 51 per culta Namnetesque duros
 52 currit Aremoricum in profundum,
 53 et qua bisulcis Sequana fluctibus
 54 notos Minervae Parisios secat
 55 cursuque Normanum reflexo
 56 aequor adit sinuosus amnis,
 57 dicar Latino pectine principem
 58 Flaccum secutus, quo potui modo,
 59 quo Phoebus externaeque Musae
 60 ingenium voluere parvum.
 61 Omnes enim non omnia possumus,
 62 sed laude dignus maxima qui sequi
 63 cum vellet, aversa coactus
 64 stare vel in minimis Minerva.
 65 Sat si, involutis molli hedera comis,
 66 vatum sacratum extremus in ordine
 67 adscribor, ut Tarpeius anser
 68 inter Apollineos olores.
 69 Hoc impetrari posse tamen reor,
 70 Hilerme, nec tu spem mihi non facis,
 71 fautorque Budaeus rotundoque
 72 alta loquens Theocrenus ore.

SALMONII MACRINI IVLIODVNENSIS CARMINVM LIBER SECUNDVS

AD HILERMV M BELLAIVM, COGNOMENTO LANGIVM

C2_01 v.1 Ad laeta quid me carmina provocas,
 2 facunde Langi, atque ambitiosius
 3 hortaris ut lusus priores
 4 hisce lyrae fidibus retractem ?
 5 Fortuna Gallis prospera dum fuit
 6 regnoque Princeps floruit integro,
 7 a Gange montosisque Bactris
 8 ad Tanaim celebratus amnem,
 9 te teste lusi plurima dulcibus
 10 aptanda nervis, nunc choreas leves,
 11 nunc vina odoratumque crinem,
 12 nunc Paphios modulatus ignes.
 13 At Rege capto, qui fuerat prius
 14 maerore tristi concidit impetus,
 15 nec furta nec longas amantum
 16 jam meminisse juvat querelas.
 17 Jucunda cunctis lux odio est mihi,
 18 nec ceu solebat turba frequentior
 19 oblectat. O qui me latebris
 20 Cimmeriis tacitum recondat,
 21 sistatve Thules vallibus extimae,
 22 juges ut illic in lacrimas fluam,
 23 ceu mollis aestivo calore
 24 cera solet Scythicaeve ningues,
 25 donec receptus sospes ab ultimis
 26 Princeps Iberis oppida Celtica
 27 invisat et gentem sereno
 28 ore redux hilaret dolentem !
 29 Tunc mella stillent arboribus cavis,
 30 spineta odores Assyrios ferant,
 31 tunc nostra testudo canorum
 32 Orpheo Maeonidemque vincat.
 33 Maerore pulso tunc animis procul,
 34 regnet voluptas, gaudia gentibus
 35 ludoque cenarumque luxu
 36 sollicitis inopina fundens.

AD IO. BRIALDVM, IVRIDICVM IVLIODVNENSEM

C2_02 v.1 Commendo tibi nunc meos amores.
 2 Non nescis, puto, quam, Brialde, dicam
 3 illam, quae mihi destinata nuper
 4 consensu patris atque matris ejus,
 5 tota lacteola et venusta tota est.
 6 Cujus gratia suavitasque sic me
 7 ceperunt, dubium ut sit ipse in illa,

8 cum nullo liceat modo fruisci
 9 et summe cupiam tamen fruisci,
 10 delecter mage torquearne amanda.
 11 O circumlita felle mella multo et
 12 o sortem miseri molestam amantis,
 13 qui vivit periens peritque vivens !

DE Q. HORATII FLACCI LAVDIBVS

C2_03 v.1 Magne Julaeae lyricen Camenae,
 2 in tuum fas sit nemus ire nobis
 3 teque jungendum fidibus magistro
 4 discere carmen.
 5 Divitum seu tu colis insularum
 6 arva robustis inarata tauris,
 7 multa ubi flavet seges, uva toto
 8 purpurat anno,
 9 multi ubi spirant generatim odores,
 10 obstrepunt densis volucres frutetis,
 11 mellis ubertim niveique currunt
 12 flumina lactis,
 13 Elysii seu te taciturna vallis
 14 stratum habet leni nemorum sub umbra,
 15 haud inassuetas meditantem eburno
 16 pectine curas,
 17 sive (quod vero proprius) silentis
 18 circulo lunae, veteres quietus
 19 inter Heroas, sola terrae et ipsum
 20 despicis aequor,
 21 dic, habent quae te loca cumque divum
 22 nectare et sacra ambrosia fruentem,
 23 non enim inferni tenebras tyranni
 24 incolis imas,
 25 aridum pleno neque cernis amni
 26 Tantalum linguae nimium loquacis,
 27 nec lacu incassum Stygio replentes
 28 Belides urnam,
 29 saxave urgentem juga in alta montis
 30 Sisyphum frustra, Tityum noveno
 31 jugere extentum et jecur exedentes
 32 triste volucres.
 33 Dic quibus quondam meditatus antris
 34 sacra solemnesque choros deorum,
 35 et triumphales redeunte ad urbem
 36 Caesare plausus,
 37 quove Paeanas pede saeculares
 38 laurea pressus viridi capillos
 39 scripseris, coetus puerilis assa
 40 voce canendos.
 41 Furta te interdum juvenumque curas
 42 et juvat duras meminisse noctes,
 43 utque ventoso patiare tristes
 44 sub Jove brumas,
 45 ut Venus, si quos in amore motus
 46 sentias, caesa faveat columba,

47 ut diu aversae gravis ira flecti
 48 possit amicæ.
 49 Liberos quid cum revocas ad haustus
 50 rore perfusos Arabo sodales
 51 et jubes largo superare dura
 52 taedia Baccho ?
 53 Tunc tibi illimi fluit amne carmen,
 54 afflat et miro Charis alma honores,
 55 efficax blando modulantis ore
 56 Suada quiescit.
 57 Melle certatim tua scripta flavo
 58 tunc apes spargunt violisque vernis,
 59 nec suis parcit Venus aut voluptas
 60 prodiga donis.
 61 Vatis exemplo Parii nocentes
 62 interim vexans oneransque diris,
 63 ad Lycambeum laqueum minaci
 64 cogis iambo.
 65 Interim ludens satura procaci,
 66 nare suspendis populum retorta,
 67 nec tamen parcis proavis Amico
 68 regibus orto.
 69 Quin stilo textis humili tabellis
 70 suggeris vitae documenta honestae et
 71 formula recti placidis sophorum
 72 fontibus haustam.
 73 Mollibus formas tenerum poetam
 74 inde praceptoris facilique ad altum
 75 calle deducens Helicona, summo in
 76 vertice sistis.
 77 Editum pennis nisi te secundis
 78 Parca donasset populo Quirini,
 79 quis lyra Graios imitatus esset
 80 illice cantus ?
 81 Quippe tu, saeclis tot ab urbe primum
 82 condita, prono Aonidum favore,
 83 quem potens unum melicum probarit
 84 Roma poetam,
 85 quem suis Lenaeus inaugurarit
 86 orgiis, crines hedera coercens,
 87 cui sacro pectus gravidum replerit
 88 numine Paean.
 89 Ut parem nullum Tyrio fateris
 90 Pindaro, cujus violente torrens
 91 impetu fertur rapidoque praeceps
 92 volvitur alveo,
 93 sic tuum nemo potuit leporem
 94 assequi exactis tot ab usque saeclis,
 95 nexa et audacter tibi transmarinis
 96 verba figuris.
 97 Marte te servat Tegeaeus ales
 98 Thessalo, cum tu regeres tribunus
 99 militum turmas, malefausta Bruti
 100 castra secutus.
 101 Has comas serta Assyriique odores,
 102 has manus plectra et citharae decebant,

103 non truci cassis radiata cono aut
 104 Noricus ensis.
 105 Laudis o felix meritaeque famae,
 106 candidis quae te super astra pennis
 107 arduum vexit memoremque fido
 108 tradidit aevo.
 109 Prosper inceptis ades et legentem
 110 more apis flores varios Matinae,
 111 Appulum in saltum et Venusina deduc
 112 avia vatem.

AD GELONIDEM

C2_04 v.1 O si, compositus purpurea in rosa
 2 unguentoque madens Assyrio comam,
 3 tecum delicias, uxor amabilis,
 4 et dulces facerem jocos,
 5 a curis vacuus, quas male suscitat
 6 coeptis usque meis aemula servitus,
 7 nec gazam Venetum, clara nec ambiam
 8 ditis sceptra Britanniae.
 9 Tranquilla quid enim mente beatius
 10 firmatisque sacro foedere amoribus,
 11 cum pax certa, fides par adamantino
 12 constringit laqueo duos ?
 13 At fama assiduis plurima nuntiat
 14 angi sollicitam suspicionibus,
 15 ceu fallax tibi sim, ponere tristibus
 16 ullum nec lacrimis modum.
 17 Tot messes potuit saepta procacibus
 18 exspectare procis Penelope virum
 19 absentem, spatio tu tamen annuo
 20 jam perterrita frangeris ?
 21 Ne frustra, mea lux, te rogo, maceres,
 22 neve ora haec nimiis candida fletibus
 23 laedas : me reducem, me cupidum tui
 24 hiberni referent dies.
 25 Reddetur tibi tunc ipsa fideliter
 26 sors, nec defuerint fenoris annui
 27 exoptata diu lucra : fateberis
 28 amissum nihil hac mora.

AD EANDEM, DE ROMILIO

C2_05 v.1 Mirum Romilio videtur uni
 2 ex omni numero eruditiorum
 3 cur tantum mihi diligare, conjux,
 4 cur lux melque vocere, cur voluptas
 5 vel si quid lepidum magisque blandum est
 6 Atque is cum legeret novum libellum,
 7 quem de te modo scripseram : "Quid, inquit,
 8 istaec ? Quo meruit Gelonis ore,
 9 quo morum genere elegantiorum
 10 tam culto celebrarier libello

11 et Famae niveis vehi quadrigis
 12 per coetus hominum venustiorum ?"
 13 Nae si talia dixit ille, dicat
 14 idem atra pice nigrius colostrum,
 15 solem nocte, die micare lunam,
 16 et si putidius quid esse possit !
 17 Nam te nulla hodie puella vivit
 18 toto suavior orbe scitiorque.

AD SODALES

C2_06 v.1 Eheu ! sodales me miserum mei,
 2 miris atrox quem versat amor modis
 3 teloque percussum volucri
 4 insolitos domat ad labores !
 5 Cogor relictta non bene formula
 6 vitae prioris sub Veneris jugum ;
 7 adsueta libertas meumque
 8 dulce decus valeant Camenae !
 9 Jam non sub altis frondibus arborum
 10 ad rivum aquarum dulce strepentium
 11 prostratus aeternos Olympi
 12 stelliferi memorabo honores.
 13 Rerum ante causas prima ab origine
 14 scrutatus, inter tot variantium
 15 et dogmata et sectas sophorum
 16 tutus iter medium tenebam,
 17 quaedam secutus, quaedam etiam arguens
 18 a Christianis absona legibus,
 19 quas temperatrices volebam
 20 esse operis mihi praestituti.
 21 A tam quietis avocor otiis,
 22 discriminis non nescius heu ! Mei
 23 gnarusque pro tranquillitate
 24 multiplices superesse curas.
 25 Sed quid ? Cupido sic jubet impotens.
 26 Contra quis ausit tendere et irrita
 27 vano arma conatu movere
 28 in puerum puerique matrem ?
 29 Vos, o sodales, vos precor ocios,
 30 si quid potestis, tollite noxias
 31 de corde trajecto sagittas
 32 et miseram relevate mentem
 33 cantu vel herbis : nil ego non feram,
 34 saevos per ignes, per medium mare
 35 transibo, reddenda salutis
 36 spes modo sit placitaeque vitae.
 37 Tu causa tanti primaque fax mali,
 38 Brialde noster ; nam mihi dum tuam
 39 uxorem et uxoris sororem,
 40 callidus oh ! nimiumque pellax,
 41 ostendis, argutae ora Gelonidos,
 42 fulgore crinis lucidus aureo
 43 sermoque compostique mores
 44 me in furias rapuere tantas.

45 Tu quando amoris principium mei
 46 et fons fuisti, perge age et huic tibi
 47 impone confestim secundis
 48 coepto operi colophona divis.

AD VIDONEM BRELEIVM

C2_07 v.1 Quae loquax olim fueratque et acri
 2 grata testudo strepitu silescit
 3 nec deum sacros hominumve ut ante
 4 cantat honores.
 5 Dulcibus vatum studiis sereni
 6 apta nimirum est animi voluptas,
 7 elaboratum pariunt quieta et
 8 otia carmen.
 9 Tota at Europe, Vido, luctuosi
 10 horridis belli quatitur procellis,
 11 fomitem accendens odii et furorum
 12 saevit Enyo.
 13 Gallias Anno ferus atque Cimber,
 14 Gallias Angli jaculis timendi,
 15 Gallias summa sibi ope allaborant
 16 subdere Iberi.
 17 Quid quod occultaque domesticaque
 18 clade vexamur miseri ? Scelestas
 19 quid quod et Princeps prope caesus ipse
 20 fraude suorum ?
 21 Da mihi magni ingenium Maronis,
 22 da Meletei senis : his profecto
 23 motibus frangetur et hac laborum
 24 mole fatiscat.
 25 Proinde nil mirum tibi si invenustos
 26 offeram versus inopesque rerum,
 27 unicum o juris decus et senatus
 28 gloria summi.
 29 Publici luctus patriae ac dolorum
 30 particeps frustra chelyn ipse pulso,
 31 et prius multum facilis vocanti
 32 surdus Apollo est.

AD GELONIDEM

C2_08 v.1 Consuetas quid adhuc, Geloni conjux,
 2 ad intemperias revolvor amens ?
 3 Quid venis alo vulnus ac medullis
 4 et caeco miser igne deliquesco ?
 5 Mentis indomitos furentis aestus
 6 tranquillarier arbitratus uno,
 7 si tecum modo mense continenter
 8 vixem et vir thalamo potitus essem.
 9 Id feci, sed enim redire rursum ad
 10 invisam hanc ubi sum coactus Aulam,
 11 rursum invadit amor resuscitatque
 12 mentis indomitos furentis aestus

13 multo saevius immodestiusque,
 14 ut magno mihi constet illa dulcis
 15 consuetudo tua atque amoris usus.

AD HILERMV M LANGIVM

C2_09 v.1 Adsit canenti laetitiae datrix
 2 Pimplea praesens et chelyn auream
 3 florente adornatam corona
 4 percutiat modulante plectro,
 5 seu voce docta malit amabilem
 6 hymnum expolitis dicere versibus,
 7 quales ad augustam Tonantis
 8 suevit ovans cecinissemensam.
 9 Mentem deorum carmina recreant
 10 caeloque festos exhilarant choros
 11 et fulmen extingunt et acres
 12 saepe Jovis moderantur iras.
 13 Odere carmen, sacrilegum nefas
 14 quisquis scelesto pectore concipit,
 15 ut Caeus immanisque Typhon
 16 sub Sicula tumulatus Aetna,
 17 nive alta jugi cui latera albicant
 18 largoque inundant flumine turbidi
 19 fornace ab ardenti vapores
 20 cum strepitu piceique fumi.
 21 Nam cum Gigantis pectus inaestuat
 22 fervore anhelo membraque pondere
 23 depressa concusso moventur,
 24 sidera ad alta volant favillae
 25 et nube spissa praeripiunt diem,
 26 auditur imis e specubus fragor
 27 horrendus eructansque saxa
 28 praerapidis liquefacta flammis.
 29 At tu, dederunt cui deus et parens
 30 natura quicquid fas homini foret
 31 optare, robustumque corpus
 32 egregias animique dotes,
 33 virtute cui nil dulcius aurea
 34 antiquiusque est, carminibus faves
 35 curisque nonnumquam solutus,
 36 impetu Apollineo moveris.
 37 Dixisse, Langi, non facile est mihi
 38 majusne nomen (militiae ac domi
 39 vatesque bellatorque praestans)
 40 his studiis mereare an armis.
 41 Nam natus annos vix bene quindecim
 42 ardore pectus cum tenerum entheo
 43 succensus, humanae pericla
 44 Maeonio canis ore vitae.
 45 Tellure quae tu gesseris Itala,
 46 Ticinus esto testis et Abdua,
 47 at Tibris Ursini tuoque
 48 Borbonidem cecidissem ductu.
 49 Quam rite lucem libera consecret

50 aeternitati Gallia et annuis
 51 ludisque solemnique pompa
 52 dignum habeat tibi grata honorem !

AD GER. RVFVM IN NATALI VIRGINIS

C2_10 v.1 Lesbio jam nunc age, Rufe, cantu
 2 Regis aeterni celebranda Mater,
 3 nuptiarum expers et in omne Virgo
 4 nobilis aevum.
 5 Annuo nam sol revolutus orbe
 6 fulgidis lucem revehit quadrigis,
 7 illa qua dias oriens subivit
 8 luminis auras.
 9 Clarius caelum solito refulsit,
 10 matre felicem pariente prolem,
 11 visa inassuetos quoque polliceri
 12 sidera honores.
 13 Amne Jordanes hilaris refuso
 14 extulit summas caput inter undas.
 15 Carmina ac festas choreas frequentant
 16 flumine Nymphae.
 17 Una de multis : "Miseri, quid, inquit,
 18 fletis aeternum, Solymi ? Propinquat
 19 en salus vobis redeuntque in aurum
 20 tempora priscum !
 21 Ter quater faustam parit Anna prolem
 22 ante promissam toties, ut esset
 23 semper illibata eademque summi
 24 Mater Iesu.
 25 Haec senex noto mihi dixit antro
 26 Carpathi Proteus virides ad undas,
 27 dum silent venti et resides quiescunt
 28 litore phocae."
 29 Has ubi prompsit placido ore voces
 30 Nympha, gratantur comites bonumque
 31 omen assensu facili atque presso
 32 police firmant.
 33 Nos quoque hunc sacrum Mariae minores
 34 rite natalem colimus neque aris
 35 lampades desunt neque larga odori
 36 copia turis.

AD GELONIDEM

C2_11 v.1 Lydis candidior puella cycnis
 2 Getuloque ebore Indicisque baccis,
 3 quae lac, Sithonias nivesque vincis
 4 et marmor Parium, rosas et albas,
 5 vernos lilia verna cum ligastro et
 6 si quid candidiusque puriusque est,
 7 o flavos, precor, explica capillos
 8 astrictos rutilo decenter auro.
 9 Amplexabile suculentulumque

10 da collum hoc mihi, vita, suaviandum.
 11 Hasce, quaeso, genas negare noli
 12 infusas Tyrii rubore fuci,
 13 stellatos oculos, puella, pande
 14 et superciliis nigrantis arcum,
 15 da corallina labra, quae lepore
 16 dulcis nectareo Melissa tinxit.
 17 Da mi basia da, Geloni, pressim,
 18 inter se ut niveae solent columbae.
 19 Sugis partem animi, venusta, sugis,
 20 et cor basia sauciant tua istaec,
 21 dum florem traho spiritus beati
 22 et pressa implicor osculatione.
 23 Colorem mihi sanguinemque vivum
 24 suxisti ; quid enim, puella, celem
 25 quod pallor maciesque sicca prodit ?
 26 Conde ah ! Conde sinum tuasque mammas
 27 nunc primum tenere sororiantes.
 28 Quid dixi, mea lux, furore vecors ?
 29 Stulte paenitet esse me locutum.
 30 Porge o porge sinum tuasque mammas
 31 nunc primum tenere sororiantes.
 32 Illa cinnama fert beatus hortus
 33 et florum genus omne suaviorum,
 34 ex te gratia surgit et voluptas,
 35 ex te deliciae Cupidinesque,
 36 ex te omnes Veneres venustiores ;
 37 affligis tamen enecasque amantem
 38 istis deliciisque gratiisque,
 39 par Sirenibus ore quae canoro ob-
 40 -lectabant simul et simul necabant
 41 pellectos vada in aestuosa nautas.

AD LAVRENTIVM TVSCANVM, EPISCOPYM LODEVENSEM

C2_12 v.1 Dulcium arbitrae fidium pueriae
 2 dia et aeterno Jove creta proles,
 3 quae Cithaeronem et liquidos tenetis
 4 Phocidis amnes,
 5 munera vestri est quod eburna vatum
 6 promit illeges lyra dithyrambos,
 7 sive concinno libitum est modorum
 8 ludere mensu,
 9 vos comas lauro meritas virenti
 10 cingitis pullae foliisque myrti,
 11 durat et vestro celebris virorum
 12 fama favore.
 13 Maximi sunt qui ducis aucupantur
 14 bellicas laudes Capitoliumque
 15 alti equis parta satagunt in albis
 16 visere palma.
 17 En tibi Argivum bona pars coronae
 18 Isthmiae magno studio tenetur
 19 et rota Eleos pedibusve apisci
 20 certat honores !

21 Hos quidem per me celebrent agonas,
 22 has licet quaerant alii coronas,
 23 in sua ut fractis remeent ovantes
 24 oppida muris,
 25 non ego insculptos veteri lebetes
 26 arte non fulvos tripodas peroptem,
 27 laeta victori dare quos suevit
 28 Graecia athletae.
 29 Sed neque expulso violenter hoste
 30 aureos torques phalerasve poscam,
 31 quaeque servato tribui solebant
 32 praemia cive :
 33 caedis immunis mihi dextra tantum
 34 tibias tractet citharaeque nervos,
 35 et susurrantes jaceam supinus
 36 fontium ad undas.
 37 Vos, deae, molli viola rosaeque
 38 flore spargetis beneolente vatem,
 39 aptaque ad sacras dabitis canenti
 40 semina laudes.
 41 Gesta Phlegraeis memorabo campis
 42 cum Giganteae statuere turbae
 43 a suo regemque deum deosque
 44 pellere caelo.
 45 Bracchiis freti validis et ipsa
 46 mole membrorum nemorosum Olympo
 47 Pelion jam subdiderant gravemque
 48 Pelio Ossan.
 49 Cum repugnaret Superum corona
 50 fratribus saevis et onus duelli
 51 tum suam cujusque vicem per omnes
 52 iret in orbem,
 53 Juppiter tota stimulatus ira
 54 dexteram librans periturum in agmen
 55 fulmine et vasto tonitru nefandos
 56 contudit ausus.
 57 Dicam et extinctae Semeles renatam
 58 Indicas prolem penetrasse ad urbes
 59 et capistrata meruisse primos
 60 lynce triumphos.
 61 Addam et Amphrysum prope flumen olim
 62 regis Admeti pecudes agentem
 63 exsulem Phoebum cecinisse agresti
 64 carmina canna.
 65 Nec meis indictus abibis hymnis,
 66 grande nostrorum pretium laborum,
 67 Laure, qui curas uti ne alta nobis
 68 otia desint,
 69 qui prius notus tibi quam fuissem,
 70 cum meas nugas aliquid putares
 71 esse, juvisti tenues subinde
 72 omni ope census.
 73 Haec meis vivent benefacta chartis,
 74 si quid omnino pia scripta possunt
 75 praebet et sese facilem vocanti in-
 76 -tonsus Agyeus.

DE MORTE CARLOTAE VALESIAE, REGIS FILIAE

C2_13 v.1 Ecquae gens adeo immitis et effera est
 2 nostris praecipiat quae lacrimis modum
 3 et desiderio, cum Lachesis nocens
 4 tam carum abstulerit caput ?
 5 Ergo saevitiae Taenarei Jovis
 6 matris factum obitu non fuerat satis
 7 elatae ante diem nuper et improba
 8 afflictae medici manu,
 9 materno nisi sit filia funeri
 10 adjuncta ? Ecce calent nunc etiam rogi,
 11 natae et jam teneris funera, pro dolor !
 12 Curanda altera Manibus.
 13 Quo nunc purpureae flore prior rosae
 14 vultus ? Quove oculi sideribus pares ?
 15 Aetatemque supra sensus et indoles ?
 16 Atque alti vigor ingenii ?
 17 Tam grata omnibus haec, tam popularia
 18 immatura rapit vis neque quippam est
 19 de, Carlota, super te, nisi frigidus
 20 angusta cinis urnula.
 21 De te magna tuus pollicitus tibi
 22 fors nunc vota facit Caelitibus pater,
 23 longinquisque gerens proelia finibus
 24 laetam ac incolumem putat.
 25 Heu ! spes irrita, heu ! laetitiae breves
 26 spondentis sibi opem in tempore Galliae
 27 et pacem stabilem cum Carolo tuis,
 28 virgo regia, nuptiis !
 29 Quid felici animae numina comprecer
 30 placata et facilem porthmea ? Sedibus
 31 te certum Elysiis integrum et integras
 32 inter ludere virgines.

AD SANGELASIVM MELLINV M

C2_14 v.1 Dulce est jacentem sub nemorum coma,
 2 Melline, laudes dicere Caelitum
 3 quantoque mortales Olympum
 4 igniferum attigerint labore,
 5 sacris recepti nectaris haustibus
 6 divumque mensae ; tristia sed vetant
 7 nos bella discordesque reges
 8 festo animum recreare cantu.
 9 Vates quietem pacis et otia
 10 desideramus, numine nam suo
 11 Grinæus absistens recusat
 12 sollicitas agitare mentes.
 13 Umbrosa densorum avia saltuum
 14 fontisque puri murmura quaerimus,
 15 non castra, non enses cadentum
 16 caede virum horrifica cruentos.

17 Immane quantum carmine tibiae
 18 Tyrrhena Lydae buccina discrepet
 19 tormenta et excussi molares
 20 voce lyrae fidiumque pulsu.
 21 Nunc Christiano quae plaga sanguine
 22 intaminata est ? Astur et Italus
 23 in mutuum inter se scelestis
 24 exitium furiantur armis ;
 25 Celtis minatur Flandrus et Atrebas
 26 confoederatae fretus ope Angliae ;
 27 commovit intestina nuper
 28 Borbonius quoque bella princeps,
 29 praebente vires Caesare ; sed ferox
 30 non auspicatos reprimet impetus
 31 Franciscus et vindicta fractum
 32 inveniet sua parricidam,
 33 quae sera quamvis puniat improbos,
 34 cessare magnis visa piaculis,
 35 dilata post pensat tamen nec
 36 suppicio leviore saevit.
 37 Rerum inquietis hisce tumultibus
 38 nil ipse possim scribere quod juvet,
 39 facunda quod gentis volare
 40 per Latiae mereatur ora.

AD GELONIDEM

C2_15 v.1 Virgo, quae nostris penitus medullis
 2 fixa nocturnos tibi cogitatus
 3 vindicas et (si libeat fateri
 4 vera) diurnos,
 5 ecquid in leges adeo severas
 6 nos amor pellax pariter coegit,
 7 mutuis ut cum caleant duorum
 8 pectora flammis,
 9 mente sincera te ego amem sed unam,
 10 invicem tu me quoque ames sed unum,
 11 fas sinant et jus, aliena nec sint
 12 vota parentum,
 13 ut simul juncti face nuptiali
 14 rite felices agitemus annos
 15 et domum fundemus utramque laeti
 16 prole novella,
 17 non tamen nobis liceat latentes
 18 libero affatu relevare curas,
 19 nec palam caris sociare cara
 20 oribus ora.
 21 Claustrat turri Danaen ahena
 22 suspicax olim pater, at dolosus
 23 non minus fulvo penetravit illuc
 24 Juppiter auro.
 25 Nostra sors multo, mihi crede, pejor,
 26 ut quibus proni faveant parentes,
 27 vota concordent neque luno taedas
 28 pronuba damnet,

29 nec serae obsistant rigidique vectes,
 30 asper amplexus dirimatve custos,
 31 differat sperata tamen malignus
 32 gaudia rumor.
 33 Nil quidem est cur hunc adeo tremamus,
 34 sed verecundus pudor atque inaudax
 35 mens jubet vitare mala impotentis
 36 murmura famae.
 37 Interim sparsa lacrimis arena
 38 valle declivi Ligerisque ripis
 39 heu ! Nimis duros querar amni et aurae
 40 tristis amores.

AD LVNAM, DE GELONIANO VILLA SVBVRBANA

C2_16 v.1 Cordi Latmia quam fuere saxa
 2 olim, Luna, tibi cavaeque rupes
 3 vestri participes amoris imae,
 4 illic Endymiona cum decorum
 5 clandestim tepido sinu foveres
 6 et caelo dea quaereres relicto,
 7 occultis misere perusta flammis,
 8 mortalem ac niveo ore basiares
 9 artus irriguo sopore fusum,
 10 tam gratae mihi sunt peculiares
 11 seposti latebrae Geloniani,
 12 cum villa abdita idoneoque nostris
 13 voluptatibus angulo moratur
 14 me Gelonis ab urbe ventitantem
 15 horis ad mea vota praestitutis.
 16 Illic ludimus arbitris remotis
 17 et curas animi levamus aegri.
 18 Illic libere amoribus vacamus
 19 nimbatis medias ad usque noctes.
 20 Illic denique Cypris et Cupido
 21 contemptis choreas agunt Cytheris.
 22 At priscae memor oro, Diva, curae,
 23 ne lucem in piceis neges tenebris,
 24 neu notas redeuntem ad urbis aedes
 25 laedi noctivago sinas ab hoste.

AD BACCHVM, IN VINALIBVS

C2_17 v.1 Huc huc virenti, Bacche pater, veni
 2 cornuta vinctus tempora pampino,
 3 tecumque germana Aphrodite et
 4 coetus ovans tenerorum Amorum,
 5 Rixae procaces atque hilaris Furor
 6 et mixta blandis Simplicitas locis,
 7 necnon verecundo decorum
 8 virgineus Pudor ore ridens.
 9 An cum novellum vinitor aureae
 10 uvae liquorem pinguiculo e lacu
 11 te, Bacche, delibem vocando,

12 sacro aberis tibi destinato ?
 13 Olim Camenae te duce maximum
 14 videre Gangen et Satyri lvues,
 15 thyrumque victorem subactus
 16 sensit Arabs opulens et Indus.
 17 Quamvis placerent deliciae et chori
 18 et nox minutis ebria poculis,
 19 te bella si quando vocarent,
 20 fortis eras tamen impigerque,
 21 spectatus armis cum Jovis aetheri
 22 ingens Typhoeus injiceret manus
 23 Pindo Ossan imponens, merenti
 24 dulce tibi Euhius unde nomen.
 25 Tuo incitatae numine Maenades
 26 caesim superbum Penthea differunt ;
 27 ultore te saeva bipenni
 28 Thrax sibi crura secat Lycurgus.
 29 Te dum laborant fallere Lydii
 30 delphines alto desiliunt salo
 31 et transtra mirati et rudentes
 32 vite racemifera virere.
 33 Arcana cistis orgia mysticis
 34 portant quotannis Ogygides piae
 35 Nilique mensuram tumentis
 36 dant Pharii tibi rite, Osiri.
 37 Torquatae echidnis Bistoniae nurus
 38 Haemi vagantur per juga ningidi
 39 Evoe sonantes et ferarum
 40 semineces epulantur artus.
 41 Per colla crinis fusus eburnea
 42 molli et decoro corpore floridum
 43 exornat aeternum fluitque
 44 aurea palla pedes ad imos.

AD GELONIDEM, DE SVO SOMNIO

C2_18 v.1 Esse quid dicam sonitu quod aures
 2 tinniunt nobis adeo frequenti
 3 et Gelonillae tenebris in ipsis
 4 adstat imago ?
 5 Meque sopitum vocat alloquique
 6 lenibus verbis prope flens videtur
 7 ut simul sacris cito copulemur
 8 ambo maritis ;
 9 nubilem sese thalamis et aptam
 10 ne mora pergam cruciare longa,
 11 occupet pactas sibi neu puella
 12 altera taedas ;
 13 quippe se spretu misere moveri
 14 Gnosidos, blandis male quam fefellit
 15 vocibus Theseus bibulisque Naxi
 16 liquit arenis ;
 17 Lemniae tristi quoque sorte nymphae
 18 nave quam prima freta lata sulkans
 19 sprevit illusam geminaeque matrem

20 prolis Iason.
 21 Desine invisae, precor, o querelae
 22 carior conjux mihi me, manebo
 23 integer nec mors nisi sola quicquam hos
 24 finiet ignes.
 25 Tu decus nostrum, Jove digna virgo,
 26 ulla te praeter neque pulchra nobis,
 27 Tyndaris non si redeatve rursum
 28 candida Tyro.

AD NEREIDAS

C2_19 v.1 Nysaee, Panope, Lycoriasque et
 2 glaucis Cymothoe decens capillis,
 3 quae regnum liquidae tenetis undae,
 4 vestros fluminea antra sic amores
 5 umbrosoque specus virore celent,
 6 nec ulvae impedian leves natatus,
 7 ducetis quoties aquis choreas.
 8 Tutis sistite portubus phaselum
 9 quae me quaeque meos vehit sodales
 10 a longa reduces profectione.
 11 Huic o flatibus implet secundis
 12 dexter lintea tenta Apelliotes,
 13 canas palmula nec fatiget undas
 14 pulsu remigis incitatiore,
 15 nec radat tremulo rudente cautes
 16 fessorum labor helciariorum,
 17 sed ventis modo prosperis citata
 18 allapsu facili fluenta sulcet,
 19 notisque auspiciis reducat omnes !
 20 Vobis alba cadet juvenca, Nymphae,
 21 expers quae Veneris rudisque arandi
 22 persultat pede prata nota laeto.
 23 At ventis nivea immoletur agna
 24 atque ornet meritam corona cymbam,
 25 intrarit simul ac sinum illa tutum
 26 et grato fuerit potita portu.

AD HIL. BELLAIVM

C2_20 v.1 Non uniones divitis Indiae,
 2 non scalpta prisca Mentore cymbia,
 3 factos nec affabre lebetes
 4 aut citreas tibi, Hilerme, mensas
 5 facunde mittam quodve cavis Iber
 6 aurum metallis decolor eruit
 7 nec beluae dentes Libyssae,
 8 vellera vel pretiosa Serum.
 9 Tu namque suetus pendere moribus
 10 puris amicos, non opulentia,
 11 haec fortis exquisita rides
 12 munera, pro nihiloque ducis
 13 quicquid volucri non stabilis rota

14 Fortuna cuiquam donat et eripit,
 15 stridore nunc horrenda saevo,
 16 nunc hilari officiosa vultu.
 17 Nimirum ab ipsa jam inde puertia
 18 numquam bonis non deditus artibus,
 19 chartisque secessuque gaudes
 20 ingenui studiosus otii.
 21 Rerum moveris nil pereuntium
 22 splendore fluxo : carmina diligis,
 23 his gnarus aeternum parari
 24 posse decus celebremque famam.
 25 Haec sunt amicis quae dare possumus,
 26 Hilerme, tantum haec, sumere quae velis
 27 a vate dilecto potens et
 28 divitiis locuples avitis.

AD GELONIDEM

C2_21 v.1 Cur duro fugitas pectore contumax
 2 qui te plus oculis unicum amat suis
 3 jucundam et sibi lucem
 4 si te non potitur, negat ?
 5 Sic vitat mediis saltibus obvium
 6 imbecilla lupum caprea, sic levi
 7 penna Chaonis ales
 8 curvis accipitrem unguibus.
 9 Quid si vociferans ut noceam sequar,
 10 impermissa tori aut gaudia flagitem ?
 11 En te utriusque parentes
 12 uxorem mihi destinant,
 13 signatae tabulae dotis et auspices
 14 inter facta sacris sponsio ritibus !
 15 Nunc promissa tuorum
 16 o ne sint, precor, irrita !
 17 Non magnis opibus, non genere inclyto
 18 nec sum tergeminis clarus honoribus ;
 19 at mi virgine lauro
 20 ornant Pegasides comam.
 21 Thymbraeus citharam donat eburneam
 22 afflatumque suum, quo celebrabere
 23 longum et vate marito
 24 in doctas venies manus.

AD RVTILIVM LAMBERTVM

C2_22 v.1 Jam nive hiberna juga summa canent
 2 et comis nudae viduantur ulmi,
 3 desident nautae, scapha litorali
 4 putret in alga.
 5 Tu foco cessas tamen, o Rutili,
 6 larga confertim cumulare ligna,
 7 lene nec curas cyathis Calenum
 8 promere plenis,
 9 parcus haeredi ; sed enim ille, postquam

10 ruperint durae tibi fila Parcae,
 11 in rosa potans, propere relictam ab-
 12 -sumet opum vim.
 13 Quae penu condus locuplete servas,
 14 forsitan scortis dabit atque mimis,
 15 teque ridebit quod avarus ante
 16 spreveris uti.

AD HIERONYMVM FONDVLLVM, CREMONENSEM

C2_23 v.1 Ne crede versus quos fidibus novis,
 2 non otiosa segnis inertia
 3 projectus umbrosis vel antris
 4 vel Ligeris viridante ripa,
 5 compono, regum proelia et arduas
 6 res persecutus carmine Teio,
 7 Fondulle, subjectos deabus
 8 lanificis rigidoque fato.
 9 Cortina fallit me nisi Delphica
 10 et Phoebus augur, posteritas teret
 11 hoc quicquid exegi, meosque
 12 fama feret celebris labores.
 13 Nullo parentum stemmate nobilis
 14 altusque privis patris in aedibus,
 15 aetate ventura superbis
 16 Principibus placuisse dicar,
 17 non gloria Martis adorea
 18 clarusve caesis millibus hostium ;
 19 nam pacis unius colenda
 20 a tenero studiosus ungui,
 21 semper cruentas fugi acies virum
 22 et rauca diris classica cantibus,
 23 ignobili hac laetus quiete
 24 Thespia dumque choris dearum,
 25 quas mollis olim suetus Anacreon
 26 aptare nervis lene sonantibus,
 27 pugnax et Alcaeus modisque
 28 dulcibus illecebrosa Sappho.
 29 Vivunt Camenae, nec senii situs
 30 aut saeculorum livida edacitas
 31 delevit admiranda magnis
 32 Aeneadis monumenta Flacci.
 33 Quin et deorum deliciae sumus
 34 et cura flagrans. Pan Tegeaticus
 35 laudavit aestiva frequenter
 36 Pindaron Ogygiden sub umbra,
 37 divusque blandi pectinis arbiter,
 38 cui rore lotae Castalio comae,
 39 dignatus hunc sacris eumdem
 40 saepe epulis decimisque Phoebus.
 41 Huic ora fari nescia parvulo et
 42 cunis jacenti luscinia insidet,
 43 plectro illum at exactis tyrannis
 44 rite memor patria ornat aureo.
 45 Et tu, vocari jusse Simonides,

46 lapsae ruinis subtraheris domus
 47 tristemque declinas sepulti
 48 ante tibi monitu procellam.
 49 Illum receptum me quoque in ordinem
 50 (pigri sit impar vis licet ingenii
 51 fingamque deductum, legentis
 52 instar apis thyma grata, carmen)
 53 inusitatis mactat honoribus
 54 gens Franca vatis nomina nec negat,
 55 confessa se debere primam
 56 hisce mihi in lyricis coronam.
 57 Hoc patris olim provida mens mei
 58 deliberantis qua regi idoneum et
 59 aetate adhuc prima tenellum
 60 imbueret magis arte, vidit.
 61 Nam jura cum civilia plurimi
 62 et congerendis divitiis forum
 63 accommodum instantent nec assis
 64 has inopes facerent Camenas,
 65 spredo suorum consilio pater
 66 praesagienti numine percitus :
 67 "Discant lucrosas, inquit, artes
 68 sacra fames quibus est habendi !
 69 Tranquilla Phoebi natus ad otia
 70 dulcesque noster Pieridas specus
 71 vates inaccessos et antra
 72 nota vagis Satyris frequentet !
 73 Spelaea malit frigida saltuum
 74 vivoque fontes gurgite gemmeos
 75 quam sceptra inauratosque currus,
 76 munera quam popularis aurae !"
 77 Ratam hanc parentis candida cum tribus
 78 fecere vocem fata sororibus,
 79 largitus et mi artem chelynque
 80 consilii Patareus auctor.